

147

145

151

141

156

136

196

096

246

046

vel Nili equus. Est autem hippotamus monstrum ingens ac ferocissimum, crura, pedes et unguis habet admodum acuta et terribilia, multo majora cocodrillo, estque humanorum carnium cupidissimum. Insidiatur autem navibus, ut homines comedat, et dum navis sibi occurrit, unum pedem in terra figens altero navem in anteriori arripiens facillime eam scindit vel inclinatam mergit, unde in locis, in quibus habitat, nemo securus est, sed passim omnes perdit. Rarissime tamen haec bestia comparet; denique capi non potest ullis instrumentis, nisi reti ferreo ex catenis in Damasco ad hoc fabricatis et captum tantum ferreis malleis occiditur. Pellis ejus unius cubiti spissitudinem habet tantaeque est duritiae, ut nullo jaculo aut armatura penetrari valeat. Has bestias insaniam gentilium illorum, qui Nilum quo Deo colebant, dicebant esse germen Nili eisque divinos honores exhibebant et praecipue cocodrillis, ut supra fol. 118. habetur.

De hoc animali dicit Eusebius de Evangel. præparatione L. 8. c. 5.: apud Aegyptios, inquit, mirabile quoddam consideravi, cocodrillus enim, omnium belluarum atrocissimus, in sanctissimo natus et enutritus Nilo quamvis sub aquis vivat, utilitatis suae non est ignarus; magna enim copia apud eos invenitur cocodrillorum, quod animal ideo tamquam sacrum veneratur, minime autem reperiri apud eos potest, qui eum venantur, et navigantes hic quidem nec digito aquam fluvii tangere audent, cocodrillis statim insultantibus, cum eis homines non noceant, sed ut Deos venerentur.

De foecunditate, quam Nili beneficio habet terra Aegypti.

Ende

Anfang

(B) Beneficio Nili terra Aegypti est fertilissima. Nam humus, quam Nilus arenis Aegypti superinduxit, est nobilis, ex se ipso sponte producens multas herbas et virgultas, quae alibi non inventuntur et aromaticas radices et plantulas profert diversarum specierum, omnia enim ibi virentia videntur esse aromatici odoris. Ibi invenitur lignum aloës aromaticum et medicinale, quod Nicodemus dominico unguento immiscuit cum myrrha, ut habetur Joh. XIX. Dicunt autem, quod nullibi inveniatur, nisi in Aegypto, nec tamen crescit ibi, sed in paradyso. Casu autem nobis ignoto

